Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sublevatur. recipiens pro rerum casu duplicem claritatem donorum. Post
noctem tristitiae: genuit diem. post fetorem ulcerum. cassiae fraglantiam
edidit. pro abiectione cornu in unctionem regni permansit. et tybiam in ac
centu laudis assumpsit. Vixit autem post plagam. c. lxx. annis. et fuerunt
omnes dies vitae eius. cc. xl. viii. anni. et mortuus est atque sepultus in regio
ne sua. Hunc asserunt hebrei non fuisse de genere esau. sed de nachor fratris
abrahae stirpe descendisse. et fuisse eum temporibus patriarcharum. Nachor
enim genuit hus. de cuius stirpe creditur generatus. secundum quod in exordio volu
minis sui notatur. Vir erat in terra hus. nomine iob.

Moyses filius amram ex tribu levi dux et propheta israhel. regis filiae adoptivus.
dei amicus. pharaoni dominus. in rubo flammante et non urente vocibus angelicis
evocatur. quem ut exemplo firmaret deus. in sinu eius manum iussit emori.
ac rursum retractam in vigorem et amisso reddidit calores. cuius facies sple
ndore gloriae illuminatur. humilis in recusando ministerio. subditus in suscipien
do. in consilio fidelis. in exequendo pervigil. in regendo populo vigilans. in corri
gendo vehemens. in amando ardens. in sustinendo patiens. qui pro subie
ctis deo se interposuit. consulens opposuit irascenti. Hic pro populi libertate
propriam obiecit salutem. regis saevissimi non minas non tela trepidavit. qui
et extulit contra dracones eius virgam. ac per manum dei oppugnatoris. x.
plagis eius imperium enervavit. Primum in cruorem vertit fontes et flumi
na. dehinc ranarum multitudine urbes. muscarum quoque nube aera com
plevit. mortem intulit iumentis. percussit ulcere homines. vastavit grandine
terram. subduxit tenebris caelum. Post haec expoliavit egyptios. eductoque
populo heremi pandit iter. flammea praecedente columna. nec mora mare transi
ens dividit. refrenatisque hinc inde aquarum cumulis pergenti populo viam sicco
praebuit vestigio. Hostes dehinc operuit fluctibus. atque amaras aquas per
tactum ligni in suavitatem convertit. qui et esurienti israheli caeleste praebuit pa
bulum. volucrumque escis replevit loca castrorum. percussit insuper petram atque
extimo durorum saxorum copiosa fluenta manare fecit. descendit quoque in verti
cem montis syna. faciem dei contemplatus ibi. xl. dierum ieiunia pertulit. descen
dens legem acceptam dei populo tradidit. ritumque religionis instituit. Inter haec quoque
bella gessit. victoriis claruit. virgam in manu tenens hostes quos non contigit
superavit. letiferos aspidum morsus per aerei serpentis aspectum sanavit.
dathan et abiron terrae compaginibus ruptis in profundum deiecit. ad extremum